Bodleian Libraries
UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries
and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks

This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

# SECTIO I.

## DE

# CERTITVDINE DEI,

## OBIECTIVA

### §. I.

Quum omnis CERTITVDO duplicis ſit generis, nempe vel OBJECTIVA, vel SVBJECTIVA; duplex quoque illa nobis hic conſideranda erit, quando Deo tribuitur. Primo jam loco quoniam de certitudine dei objectiua inſtitutum noſtrum eſt quaerere, quid per eandem intellectum velimus, declarandum erit. Intelligimus autem per illam primam; nihil aliud, niſi apperceptibilitatem ſeu claritatem veritatis in ente. Per ſecundam vero conſcientiam veritatis in eodem depre'endendae. Veritates geometricae, quoniam ita comparatae ſunt, ut clare diſtincte que cognoſci poſſint, et intelligi, nec intelligi ſo-

lum, ſed etiam demonſtrari, ſunt in ſe certae, certitudine quadam objectiva. Quoniam easdem Euclides aliquis, Wolfius aliquis clare diſtincteque cognoſcit, nec intelligit ſolum, ſed etiam demonſtrat, certitudinem ſubjectiuam, Euclidi certae, certae Wolfio nanciscuntur. Has jam definitiones dum luce meridiana clariores exiſtimem, nulla probatione illas comitans ad certitudinem dei objectiuam, per quam apperceptibilitatem veritatis in eodem intelligimus, conſiderandam nos accingimus.

## §. II.

CERTITVDO rei OBJECTIVA duplicis rurſus generis eſt, eſt vel 1. ABSOLVTA, vel 2. RESPECTIVA. Prima illa entis affectio eſt, qua eius veritas, ut clare cognoſcenda, concipitur, nondum habito reſpectu ad certum aliquod et determinatum cogitans; quod de eadem vel perſuaderi, vel convinci poſſit. De hac e. g. quaeritur in controuerſia cum Socinianis philoſophica circa praeſcientiam futurorum, quae vocant contingentia, quando dubium ab iis mouetur, an ſint in ſe præſcibilia. Certitudinem eorundem obiectiuam abſolutam negant, donec contigerint, hac probata certitudinem objectiuam reſpectu dei lubenter conceſſuri. Reſpectiua certitudo in objectiuis eſt illa entis affectio, qua veritas ejus a dato quodam certo cogitante poteſt concipi: ſit e. g. planetarum cujuscunque ſolis, circa quamcunque ſtellam fixam deambulantium, eadem certitudo in objectiuis abſoluta, noſtri tamen ſolis planetæ ſuarum orbitarum habent aliquam certitudinem objectiuam in relatione ad nos, qua de iisdem certiores reddi poſſumus, ac de aliis. Certitudo rerum objectiua eſt poſſibilitas certitudinis ſubjectiuae reſpectu obiectorum. Haec indeterminata dat certitudinem obiectiuam abſolutam, determinata reſpectu certi ſubiecti, reſpectiuam.

## §. III.

Omne ens certitudinem obiectiuam abſolutam iuxta gradum veritatis ſuae poſſidet, Conf. Cel. Baumg. Met. §. 184. Summimus

mimus deum eſſe ens. Hinc nobis ad gradum veritatis in eodem reſpiciendum eſt. Eſt vero deus ens perfectiſſimum. Jam in ente perfectiſſimo omnes realitates in ſummo gradu adſunt, et quidem fortiſſimis regulis conuenientiſſime coniunctae. Haec itaque maxima dei veritas diſtinctiſſime cognoſcibilis eſt certitudo dei obiectiva et abſoluta et ſumma. Conſ.. §. 11. n. 1.

## §. IV.

Deus ſummam repraeſentationem per ſummum intellectum habet, conf. Cel. Baumg. Met. §. 865. ergo ſummam conceptionem. Ubi iam deus abſolute certiſſimus §. III. obiectiue certus, A. reſpectu Theologiae αρχετυπȣ conſideratur, clarum eſt, ſi maximam veritatem poſſideat, iuxta §. III. ſi ſummam conceptionem habeat; eum obiectiua reſpectiua ad deum, i. e. ſemet ipſum certitudine qua maximam ſuam veritatem non modo diſtinctiſſime cognoſci poſſe a ſemet ipſo, ſed etiam actu cognoſci, cum ſumma infallibilitate, quia ens perfectiſſimum falli non poteſt, certiſſimam menſuram ſui, quia ſemet ipſum pleniſſime cognoſcit iuxta cit. Met. §. 865. A ſemet ipſo itaque plene concipitur, et hinc concipi etiam poteſt per certitudinem obiectiuam reſpectu dei ipſius ſummam. §. II. n, 2.

## §. V.

Haurimus ex inde iam Deum obiectiue certum, eſſe reſpectu B. Theologiarum εκτυπων, quae a. in ſpiritibus finitis omnibus. omnes enim ſpiritus finiti ſunt vires repraeſentatiuae vniuerſi pro poſitu corporis eorundem in hoc vniuerſo, ſed intellectuales et rationales, hinc ab effectu ad cauſam, ab exiſtentia contingentis ad exiſtentiam neceſſariae cauſae extra hoc contingens exiſtentis argumentari capaces. Qnoniam itaque totum hoc vniuerſum eſt viua dei ſui ſtatua, effectus utique teſtatus de cauſſa ſua, ſuo creatore, ſuo conſeruatore, contingens, quod exiſtere, ſine effectore extra ſe poſito non potuiſſet, ſpiritus omnes finiti, vires huius vniuerſi repraeſentatiuae, ſunt etiam vires

repraе-

repraeſentatiuae dei ſui cum certitudine. Deus ab omnibus finitis ſpiritibus quoniam certo cognoſci poteſt, habet certitudinem obiectiuam reſpectu eorundem omnium. b) in hominibus, dum quoque ad claſſem ſpirituum finitorum annumerandi ſunt, idem affirmare licet. Interim haec relatiua dei certitudo nunquam eſt ſumma in hiſce ſpiritibus finitis, et quidem duplicem ob cauſam. quia 1. maximam Dei veritatem comprehendere ipſis impoſſibile eſt: COMPREHENSIBILE enim hoc vocamus, cuius poſſibilis eſt plena cognitio, i. e. omnem ignorantiam excludens, et quis iam finitus ſpiritus, dum nec deum, nec ullam eius perfectionem poteſt metiri, incomprehenſibilem dei veritatem ſe penitus perſpicere poſſe auderet dicere? Quia 2) ullam rem diſtinctiſſime concipere ipſis impoſſibile eſt: conceptus enim omnis diſtinctiſſimus, omniſcientiam iunoluit; nullus vero finitus ſpiritus omniſcius eſt, ergo nec vllam rem diſtinctiſſime atque in ſummo gradu concipit.

## §. VI.

Non negamus tamen, deum a qnouis ſpiritu finito poſſe per theologiam εκτυπον completa ac rigoroſe tali cum certitudine cognoſci, imo affirmamus, certitudinem dei obiectivam, reſpectu cuiusuis ſpiritus creati, maiorem eſſe, ac vllius alius rei, reſpectu ad eundem ſpiritum habito; vbi enim maior veritas, ibi etiam finito ſpiritui plura ac maiora detegere licet. Jam vero monuimus in deo ob plurima, maxima, fortiſſimis regulis conuenientiſſima §. III. maximam quoque eſſe veritatem. Itaque etiam certitudo illa cuiuslibet ſpiritus finiti de deo ſuo maior eſſe poteſt, ac de vlla re alia, in qua ſane pauciora ac minora, minores regulas perfectionis ſequuntur.

## §. VII.

Hoc poſito, iam facili negotio nobis demonſtrandum erit, hominibus deum certiorem eſſe poſſe, ac vllam rem aliam; quinimo, ac certi ſunt de ſe ſibi metipſis. De nobis met ipſis enim,

niſi

niſi a poſteriori, complete certi eſſe non poſſumus, ideo, quia nihil de nobis ſcimus, niſi per ſenſus; experimur nos exiſtere, quia cogitamus, quia variis mutationibus ac ſenſationibus ſubiecti ſumus; De exiſtentia noſtra nihil, niſi a poſteriori ſcimus, ergo nec vlla certitudo nobis completa de nobis metipſis ſupereſt, niſi a poſteriori. Plane vero aliam certitudinem de deo habere poſſumus, et quidem illam et à priori, et à poſteriori. Quemadmodum iam certitudinem noſtri à poſteriori quaſi filo duximus, ſic certitudinem noſtram de deo à priori demonſtratione exiſtentiae eius à priori deducimus. A priori deum exiſtere intelligimus, ubi ex nullo creato per ſenſus exiſtentiam eius ſtabilimus, ſed ſolummodo puris ratiociniis ex philoſophia cognitis à poſſibilitate entis perfectiſſimi ad eiusdem exiſtentiam certiſſimam peruenimus. Jam illud hic indagandum loci non erit; ſat eſt, quod inter doctos conſtet, exiſtentiam eius a priori certiſſime demonſtrabilem' eſſe. A poſteriori vero, ſi ad res uniuerſi creatas, 'conſeruationem eiusdem continuatam, et reliqua attendimus, nemo tam veſanus erit, vt auctorem eiusdem perfectiſſimum i. e. deum non ſit ſenſurus. Jam haec omnia ſupponens, quaero an non, per inſigne rationis et experientiae connubium, maiorem, ac de nobis met ipſis certitudinem dei habere queamus? meo arbitrio hoc omnino affirmatur. de aliis rebus, quae vel ſunt vniuerſales, hoc eſt, non omnimodè determinatae, vel ſingulares, h. e. quae ſunt omnimodè determinatae, aut à poſteriori, aut à priori, completam certitudinem habere poſſumus: de prioribus, quia non ſint omnimodè determinatae, per ratiocinia philoſophica, atque ita à priori ſolum obtinetur certitudo eorundem completa et rigoroſe talis, de poſterioribus, quia ſunt omnimode determinatae, per ſenſus, atque adeo à poſteriori fit idem.

## §. VIII.

Obiiceret iam hic quiſpiam; vnde verò haec maior certitudo? noſmet ipſos tamen immediate experimur, (hoc eſt, per ſenſus) deum vero non niſi mediate (ab effectu ad cauſam). primum maiorem certitudinem videtur efficere: ſed 1. iam hic cogitan-



gitan-

gitandum eſt, num nos omnia de nobis immediate experiamur; de quibus tamen certi eſſe poſſumus: et hoc omnino negatur. Experimur de nobis met ipſis quoque complura per media; vtque iam corpus noſtrum alto ſilentio praeteream, quid de anima, de intellectu, et variis aliis dicam? quorum bene multa aeque, ac exiſtentiam dei, certis mediantibus propoſitionibus, experimur 2. quid per experientiam, quid per media velimus intelligi. Complete certa ſi conjunguntur iudiciis intuitiuis, quod ex eiusmodi concatenationibus legitimis infertur, nonne illud aeque eſt certum, ac immediatam per experientiam animaduerſa? e. g. Si vel minimam partem vniuerſi huius experior, mox mihi vnusquisque rationem ſanam poſſidens concedet, quam finitam et in horas mutandam experior, non eſſe a ſe, habere cauſam efficientem extra ſe, et hanc propter demonſtratam progreſſus cauſarum in infinitum impoſſibilitatem, primam eſſe debere neceſſariam, hinc infinitam realiter, hinc perfectiſſimam, ergo deum. Veritates eius modi complete certas et demonſtratas, ſi ad complendam probationem exiſtentiae diuinae cum iudiciis intuitiuis de aliqua parte vniuerſi, vel integro vniuerſo legitimis ratiociniis coniungo, nonne eſt exiſtentiae dei veritas aeque firma, ac ſi immediate deum experirer? 3. Omnino gratis ſumitur impoſſibilem de deo experientiam internam immediatam in hominibus eſſe. Quemadmodum veſanorum deliria non tollunt veritatem ſenſationum certitudinemque ſanos apud homines: sic ex eo, quod enthuſiaſtae non raro ſomniant experiri ſe diuina in intimis praecordiis, non ſequitur experientiam eiusmodi, ne ſupernaturaliter quidem, immo miraculoſè, produci poſſe in vllo homine, nec habituram, ſi producatur, completam certitudinem.

## §. IX.

Eſt itaque in ſpiritibus finitis ac hominibus ſpeciatim deum certo cognoſcendi poſſibilitas §. VI-VIII. et haec quidem a. abſoluta, attributum ſpiritualitatis, et humanitatis. Quod enim conſtanter enti ineſt, ac per eius eſſentialia ſimul ſufficienter determinatur, attributum eiusdem dicitur; eſt itaque poſſibilitas deum

cer-

certo cognoſcendi attributum ſpiritualitatis, quoniam per eſſentiam ſpiritus, intellectum vniuerſi, ſufficienter determinatur, §. V. Quicquid eſt abſolute neceſſarium, eſt immutabile, eſt itaque ſupra dicta poſſibilitas immutabilis.

## §. X.

Ad hanc poſſibilitatem certo cognoſcendi deum abſolutam accedit apud omnes homines b. contingens quaedam et hypothetica. *α*. naturalis. Naturale vero dicitur id, cuius ratio in natura entis continetur. Hinc naturalis eſt in homine deum certo cognoſcendi poſſibilitas hypothetica, ad quam vires naturae humanae ſufficiunt, haec autem eſt denuo א. ſimpliciter talis, ille facultatis hypotheticae deum certo cognoſcendi gradus, contingens iſta diſpoſitio naturalis in homine ſe conuincendi de deo ſuo, quem vires humanae naturae poni poſſunt admittere, dum adhuc abſtrahimus à conſideratione diuerſorum ſtatuum, in quibus ſemel conceſſae vires vel exerceri poſſint et acui, vel dilapidari ſenſim et tandem maxima ſaltim ex parte amitti. conf. Cel. Baumg. Met. §. 469. Poſſibilitas haec eſt admodum magna. Simus enim, ubicunque et in quocunque ſtatu velimus, in nobis vis repraeſentatiua vniuerſi, ac uis, qua nos met ipſos nobis repraeſentamus, nos eomitatur ubique, naturam animae conſtituens. Jam illa vis repraeſentatiua ſui ipſius ac vniuerſi in anima ſimul eſt vis repraeſentatiua auctoris animarum ac vniuerſi §. VI. Ergo quo usque patet poſſibilitas animae humanæ ſimpliciter naturalis, certo cognoscendi ſemet ipſam, certo cognoſcendi res extra ſe poſitas, per omnem huius vniuerſi circuitum, eo usque poſſibilitas certo cognoscendi deum ſuum ſimpliciter naturalis eidem animae cöextenditur.

## §. XI.

Si vero eandem potentiam ב. ſecundum quid conſideramus, i. e. iam attendentes ad diuerſos ſtatus, in quibus conceſſas naturae dotes vel vſu legitimorum optimo ſplendere, ac creſcere, vel

culpoſo non vſu doloſoue abuſu corrumpi ac decreſcere deprehendimus, mox patet, quanta praeſtari poteſt naturalis deum certo cognoſcendi facultas ac habitus, in ſtatu prioris generis ſi natura hominis finitique cuiuscunque ſpiritus conſtituta ſit, tantam etiam in ſtatu poſterioris generis locum habere, per naturam moraliter corruptam, triſtem impotentiam deum certo cognoſcendi. Tunc nec impedit γνωστον τȢ θεȢ, quod hucusque vidimus §. I-X. deprauatam eiusmodi naturam, tenebras in diuinis praeferentem luci, ſoporem attentioni, vel contemplationem imperfectiſſimorum quorumuis meditationi perfectiſſimi, diſtrahendam vanis ſequiorum fruitionibus, negligentem optimorum curas, doloſe decernentem noxios peſſimorum intuitus, quo minus ſit ipſi θεος αγνωστος.

§. XII.

Conſideranda iam nobis β. poſſibilitas illa deum certo cognoſcendi moralis I. ſecundum quam, licita quae ſunt, habentur in moraliter poſſibilibus, quaque non homo ſolum, ſed et omnis finitus ſpiritus, libertatis ſuae regulas optimas ſequens, non aeque beatus eſt, ac ſi licet eidem in intuitu creatoris ſui conuictiſſimum acquieſcere. Quoniam enim perfectionis in ſpiritum cadentis, ea portio, quae cum libertate eius propius connectitur huiusque magnam partem eſt corollarium, beatitudo ueri nominis eſt, conf. Cel. Baumg. Met. §. 787. ſpiritus ex optimo lubitu in optima latus, beatiſſimus eſt, adeoque finitus ſpiritus, qua poteſt perfectisſima formaliter cognitione perfectiſſimam in rebus concipiendo, hinc ſuae cognitioni materialem etiam perfectionem conciliando maximam, fit, qui poteſt eſſe, beatiſſimus. E contrario vix concipi poteſt, quomodo ſpiritus talis ſe beatum praedicare poſſit, ſi magna haec eidem cognitio dei deſit, ſi de ente hoc ſummo nullum ſibi conceptum formare poſſit, aut nonniſi mancos, deo indignos, craſſos vel erroneos, obſcuros et confuſos, incertos ac dubios, mortuos denique, vel intra ſterilem ſpeculationem ſine vita ac motu ſubſiſtentes.

§. XIII

## §. XIII.

Jam quaeritur, II. numne promtiſſime poſita ſit in poteſtate deprauatiſſimi cuiusuis ſpiritus certa de deo cognitio, quoniam et ea nonnunquam moraliter poſſibilia dicuntur, quae non ſunt quidem, niſi poſita libertate, poſſibilia, datae tamen ſubſtantiae liberae libera ſunt ratione exſecutionis, eo in gradu, vt libertati eius directo ſubſint, et facili negotio decerni ab eadem, decreta fieri poſſint. Moralis haec poſſibilitas poteſt augeri, ac minui, et quoniam inter alia a poſſibilitate naturali ſecundum quid dicenda ſatis aperte dependet: vel hinc patere crediderim, ſpiritum finitum, cui naturaliter impoſſibile ſit ſecundum quid certam ac determinatam aliquam certitudinem de deo diuinisque nancisci, §. XI. hoc ipſo deſtitui ſimul hypothetica quadam poſſibilitate morali, ad eandem perueniendi, conſtitutum in morali quadam impoſſibilitate, ſatis triſti, datam ad certitudinem eluctandi.

## §. XIV.

Concipi hic potius geneſis poteſt, qua miſerabilis perſona, ſuis culpis ac dolis, in incertitudinem de diuinis, quae videatur ipſi totalis delabi queat. Mancam et admodum incompletam, admodum anguſtam dei diuinorumque cognitionem apud ſe, ditare, vel complere ſaltim, negligat, per ſexcenta tamen heterogenea, quaeque poſſunt eſſe a diuinis alieniſſima, curioſitatem, omni ſtudio, diffundat. Deo dignas diuinamque maieſtatem decentes meditationes negligat, paſcat interim animum et omnem occupet, niſi viliſſimis, nugis tamen ac ineptiis, certè minutiis, ſi cum rationali religione comparentur. Cautionem vitandorum conceptuum de diuinis erroneorum, praeiudiciorum, et ſophismatum, veritatis incurius neglexerit, chimaeris potius abſurdiſſimis, falſiſſimis opinionibus, frigidiſſimisque captionibus, modo noui nonnihil contra religionem portendant, omni niſu inhiauerit. Attentionem reflexionemque ſeueriorem in diuina dirigere ſatis ſaepe diuque negligat, omnes autem animi ingeniique neruos intendat in indaganda, quae diuinis maxime contraria cogitari concipiue poſſunt. Adeo

 male

male praeparatum in pectus, veſtram fidem, pſychologi! qua via, quaque ratione poſſet completa grauiſſimae veritatis incidere conſcientia?

## §. XV.

POENA, quae poteſt ſufficienter concipi ex eſſentia peccati, et natura peccantis, aut ex eſſentia mali moralis et natura male agentis, dicitur eadem NATVRALIS. In quocunque moraliter corrupto, de deo non cogitante, ſicuti fas eſt, illa omnia, quae ad poenam naturalem requiruntur locum habent, ſi per caecam perſuaſionem primo, quicquid de deo fando audiuerat, ſibi certiſſimum ſtatuit, deinde relatorum eiusmodi detegit aliquam incertitudinem quantacunque veriſimilitudine contentus: porro hanc non ſufficere deprehendens, et rationum in contrarium peritior, nunc fluctuat, nunc dubitat, tandem neſcio quid improbabilitatis in diuinis omnibus inueniſſe iudicat, non quod pueri in faba, repertor miſerrimus, §. XIV. Poteſt vero talis homo ex dei iuſtitia ob diuinorum incuriam duplici modo poenam incertitudinis circa diuina incurrere. Aliquando non ſufficit, iam ipſam incertitudinem eſſe poenam inaduertentiae ob animum ante ſponte corruptum; ſed ſecundo, ſi iam miſer iſte ſibi plaudat, eamque gloriae ſibi ducat et honoris loco, iuſtitia dei alteram poenam naturalem illi immittit, et quidem, vt iam nolit conuinci, velit potius et decernat, quicquid praeviderit conuictionis impedimentum fore. Dicuntur iam hae poenae naturales, quia omnino ſufficienter ex eſſentia peccati et natura peccantis, aut ex eſſentia mali moralis et natura malè agentis concipi poſſunt.

## §. XVI.

MIRACVLVM eſt eventus extraordinarius, cuius ratio ſufficiens in eſſentia et natura entis contingentis non continetur. Hinc quae per naturam entis contingentis actuantur, non ſunt miracula. Totum iam vniuerſum cum ex contingentibus conſtat, et per earum naturam praeſtari non poteſt, miraculum, per vniuerſam naturam non actuatur. Dum vero miracula ſunt entia contingen-

gentia, atque ita poſſibilia, conf. Cel. Baumg. Met. §. 475. habent cauſam efficientem extramundanam. Deum vero cauſam illam extramundanam dicimns, hinc miracula nemo praeſtare poteſt, niſi ſolus Deus. Deus eſt auctor uniuerſi, hinc et naturae uniuerſae, eſt uero auctor ſapientiſſimus, hinc natura uniuerſa ſecundum ſapientiſſimas regulas eſt praeſtita. Dum itaque idem, qui ſolus miracula patrare poteſt, naturam vniuerſam ſapientiſſime ordinauit, miracula uero contra omnem curſum et ordinem naturae ſunt, videmus miracula rigoroſe dicta, ſine grauiſſimis cauſis, quam longiſſime a deo ſapientisſimo eſſe abalienata. Hinc deum tentat, qui miraculis tolli vult incertitudinem de diuinis, ad quam tollendam remedia naturalia neglexerit. Si quem autem maiori de diuinis certitudine nihilominus non vſurum bene vel abuſurum omnino deus praeuiderit, hunc ante, quam ſine ratione ſufficienti ſupernaturales euentus, et miracula, multiplicaret, huiusque ſimul hominis reatum augeret, permittit aliquando perſeuerare in ſua incertitudine, flebili beneficio.

## SECTIO II.

## DE

# CERTITVDINE DEI

## SVBJECTIVA

### §. XVII.

Secundo iam nobis Dei certitudo ſubiectiua paulo breuius perpendenda eſt, per quam intelligimus conſcientiam veritatis ipſi deo eiusdemque ſummo intellectui tribuendam. Eſſe iam illam in deo, et quidem ſummam, ſequenti modo probabimus. Neque prior eſt. nec antiquior in ſubſtantiis, nec uniuerſalior realitas, ac vis repraeſentatiua. Jam deus eſt ſubſtantia ſumma, omnes realitates in ſummo gradu posſidens. Eſt itaque ſumma vis repraeſentatiua et primaria, hinc repraeſentatiua ueritatum omnium

in ſummo gradu. Hinc et in ſummo claritatis gradu. Jam vis repraeſentatiua veritatum omnium per ſummam conſcientiam eſt ſubiectiue certisſima. Deus ergo eſt ſubiectiue certisſimus.

## §. XVIII.

I. Quo clarius aliquis veritatem aliquam cognoſcit, hoc eſt de eadem certior. conf. Cel. Baumg. Met. §. 880. Deus intellectum purisſimum habet, conf. Eiusdem Met. §. 865.' in purisſimo intellectu nulla obſcuritas locum habet, non habet itaque in deo vlla obſcuritas locum. Vbi veritatem aliquis ſine vlla obſcuritate introſpicit, clarisſime introſpicit. Atqui in deo prius eſt. Ergo omnem veritatem, quam perſpicit, clarisſime introſpicit. Ergo certisſimus de iſta veritate eſt, quam perſpicit. Et hinc, ex hac parte, ſumma eius certitudo ſubiectiua, qua ſibi conſcius eſt ſe penitus veritatem cognoſcere. Habes exemplum, ex quo pateat, quomodo cogitationes noſtrae non ſint cogitationes dei, ſi calcules, quantum vel certisſimae nobis demonſtrationes abſint a ſumma claritate veritatis in vere infinitam notarum reſolutionem excurrente. Deus ſummum intellectum, ſummamque infallibilitatem posſidet. M. §. 865. 879. Haec qui posſidet certitudinem non niſi completam habere poteſt. Incertum nobis eſt, de quo completam certitudinem habere non poſſumus, idque denuo vel probabile nobis, vel dubium eſt, vel improbabile. Deus ſummum intellectum ſummamque infallibilitatem poſſidens, ſi quam veritatem intuetur, intuetur eandem clarisſime, hinc ſine incertitudine, probabilitate, dubitatione, inprobabilitate omni, finitudinis in indagando vero corollariis.

## §. XIX.

II. Quo plurium aliquis veritatum ſibi conſcius eſt, hoc maior eſt eius certitudo, caeteris paribus. Deus ſummam infallibilitatem, ſummumque intellectum posſidet, §. XVIII. hinc completisſimam certitudinem habet omnium veritatum; caeteris omnibus paribus. Eſt itaque omnium veritatum ſibi maxime conſcius, maximamque certitudinem habet, et hoc reſpectu,

omnia haec qui poſſidet, omniſcius dici poteſt, eſt itaque deus omniscius. Poſitis iam his videre poſſumus, quanta ſit dei certitudinis ſubiectiuae ubertas et copia. (extenſio)

§. XX.

III. Quo majores veritates aliquis certo perſpicit, hoc eſt, cæteris paribus, certior. Supra jam ſat demonſtratum eſt, deo ſummam certitudinem eſſe de omnibus. Hinc ſumma cum infallibilitate juxtaque ſummum intellectum de gravisſimis etiam maximisque veritatibus conuictisſimus eſt, §. XIIX. XIX. Eſt itaque hac etiam ex parte certisſimus. Hic et primo loco numeratus certitudinis gradus. §. XVIII. maximam dabit intenſionem ſubiectiuae dei certitudini, hoc eſt, in quouis gradu maiori multitudinem graduum conf. Cel. Baumg. Met. §. 247. Quorum tanta eſt veritas, ut eorundem nexum tam internum eſſentialium et affectionum interſe, quam externum cum aliis veritatibus, vel a priori, vel a poſteriori, vel utriumque comprehendere ſit ſupra vires omnis finiti intellectus poſitum, ſunt ea myſteria veri nominis, quia ſupra rationem omnem finitam conſtituuntur. Deus omnem nexum ſibi repraeſentat, conf. Cel. Baumg. Met. §. 864. ergo habet ſummam rationem, clarisſimam certisſimam, §. XVIII. Illam qui posſidet eſt ille myſterium omnibus reliquis extra ipſum poſitis, ipſi nihil. Cui nihil eſt myſterium, neque ſibi metipſi myſterium eſſe poteſt, habet itaque ſummam certitudinem ſubiectiuam omnium myſteriorum veri nominis nobis et omni finito ſpiritui talium.

§. XXI.

Ex his omnibus iam patet, ſummam dei infallibilitatem ipſi eſſe propriam reſpectu reliquarum rerum omnium, dum id proprium in A. reſpectu B. nominamus, quod eſt in A. non vero in B. Eſt ipſi abſoluta, quia mutari non poteſt, eſt vniuerſalis quia nullam circa rem vllius erroris capax eſt intellectus perfectisſimus. Noſtra vero infallibilitas, et imposſibilitas errandi ſi cui finito poteſt ſpiritui tribui, non eſt ea, niſi ob contingentiam hypothetica, ob limitationes particularis, i. e. in aliquibus tantum rebus obtinenda, propter aeternas repraeſentationum in ſpiritu, vniuerſi parte, vicisſitudines mutabilis.

C §. XXII.

## §. XXII.

Quoniam itaque deus omnia, adeoque maxima etiam vera diſtinctisſimè nouit, §. XIX. habet ſummam certitudinem ſubiectiuam 1. de ſe ipſo, quia ſemet ipſum penitus cognoſcit, niſi eum imperfectum dicere velimus, plenam habet de maxima ſua veritate conuictionem. iuxta §. XIX. Hinc iam dei certitudo obiectiua tam abſoluta, quam reſpectiua, et ſubiectiua, quam primum maxima quaelibet cogitatur, vbi ſimul ſummum gradum in deo attingunt, coincidunt intrà deum, ipſi ſoli propriae §. XXI. Ens reale eſſe, eſt qualitas omni ente conueniens, conf. Cel. Baumg. M. §. 136. Omni enti ergo certus realitatum eſt numerus, vel gradus, gradus realitatis, niſi ſit ſummus, LIMES dicitur, ſin vero ſit ſummus, realitas, cuius eſt, non habet limitem. Infinitum eſſe, gradum realitatis maximum nouit, diciturque infinitum reale, infinitum vero reale cum ninil ſit, niſi deus, vel diuinorum quid: quoties ex vere realium aliquo ſummum abſolute cogitauerimus, vel deum, vel diuinorum aliquid cogitemus neceſſe eſt.

## §. XXIII.

Homo nullam rem diſtinctisſime concipere poteſt, Sect. I. §. V. Ergo neque ſe metipſum. Id qui praeſtare non poteſt, eſt illi aliquid ſupra rationem, quod ſupra rationem eſt diximus eſſe myſterium §. XX. eſt itaque homo ſibi met ipſi myſterium. Ανθρωπομορφισμω ſubtili eum tentari dicimus, qui deum ſibi in iis, in quibus ipſe aliquid humani patitur, ac ſe metipſum pingit, vel ſiſtit, dum itaque homines ſibimet ſunt in multis myſteria propter infirmitatem rationis humanae, deum ſibi ſiſtunt ac ſi idem ſit ſibi aeternum aenigma. Quam vehementer vero errent, demonſtrauimus in §. XX.

## §. XXIV.

Deus 2. ſummam habet certitudinem ſubiectiuam de rebus omnibus extra eum concipiendis. Omnis enim res habet veritatem, Sect. I. §. II. Deus ex ſupra dictis conſcientiam omnium veritatum posſidet ſummam, posſidet itaque conſcientiam omnium veritatum, ſiue ſint in eo, ſiue extra eum. Nos vero has ſi

concipimus, ſit idem aut abſtrahendo, et ſunt vniuerſalia, non omnimode determinata, aut omnimode determinatas cogitamus, et ſunt actualia. A. SCIENTIAM SIMPLICIS INTELLIGENTIAE dicimus eam, ubi deus ſcit omnes omnium determinationes, quatenus illa, ut mere poſſibilia ſpectantur. Illam vero deum poſſidere, conf. Cel. Baumg. Met. §. 874. vel inde patescit, quod ille, quem veritas nulla latet, certiſſimus ſit de omnibus, quae vera ſunt in noſtris abſtractionibus, ſpeciebus, generibus, etc. Ipſe quidem non abſtrahit, neque concipit uniuerſalia, niſi in actualibus, partim tamen omnes in animabus abſtractiones his ipſis perfectius intuetur, partim in vna perfectiſſimi intellectus idea omnium conceptus vniuerſalium, ſub quibus obiectum illius ideae continetur, diſtinctiſſimi compraehenduntur.

## §. XXV.

B. Per SCIENTIAM LIBERAM intelligemus, qua ſcit deus omnes determinationes actualium huius mundi. Hanc ſcintiam etiam viſionis dicunt. Nos vno nomine contenti, ad unum conceptum ſignificandum, alterum nouo conceptui ſervamus, cui huc usque proprium ſuum nomen defuit. Nam ſi ſcientiam futurorum liberam PRAESCIENTIAM, praeteritorum RECORDATIONEM DIVINAM dixeris, quomodo dices ſcientiam praeſentium liberam? SCIENTIAM VISIONIS. conf. Cel. Baumg. Met. §. 875. deus ſcit ad vniuerſum optimum pertinentia, et quidem ob ſummam ſapientiam, conf. Cel. Baumg. Met. §. 882. ſcit ea, vel maxime contingentia, non ſunt ipſi incerta, ſicut nobis et finitis intelligentiis, antecedentium omnem nexum proſpicere quae nequeunt, et id quidem omniſcientia eius flagitat §. XIX. et internorum in deo immutabilitas et genuina decretorum libertas. Praeſentia deo non fiunt certiora, nec incertiora denuo praeterita, ob eandem omniſcientiam et immutabilitatem internam.

## §. XXVI.

C. Per SCIENTIAM MEDIAM intelligimus, qua deus ſcit omnes determinationes actualium alterius mundi, quam hic, illam quoque deo eſſe propriam, patet ex eo quod hac denegata ſcientia eorum, quae euentura fuiſſent, ſiquid in hoc uniuerſo eveniſſet aliter, ac euenit, deo deneganda eſſet. Quae quum ſaltim poſſibilia, hinc vera ſint, deus non haberet omnium verorum ſcientiam, ſi media deſtitueretur. conf. Cel. Baumg.

Met. §. 876. Potuiſſe iam loco mundi qui iam iam exiſtit actu, alium exſtitiſſe, ſequenti modo probabimus. Nullius mundi partium coniunctio eſt abſolute neceſſaria. Ergo in omni mundo eſt ordo in ſe contingens, conf. Cel. Baumg. Met. §. 363. 117. 119. Hoc iam cum ſit certiſſimum, pro quouis euentu huius mundi exiſtere potuiſſet alius. Hoc poſito, iam quiuis haberet conſectaria in infinitum partialiter diuerſa, à conſectariis euentus in hoc vniuerſo qui vel fuit, vel eſt, vel erit, conf. Cel. Baumg. Met. §. 876. Ergo alius mundus adeſſet. Cum iuxta omnipotentiam deus potuiſſet alium producere, ac eſt, qui actu eſt, ſed ob omniſcientiam ſibi omnes poſſibiles imperfectiores repræſentavit, ob ſapientiam ſummam et bonitatem i. e. iuſtitiam, hunc actu produxit. Haec omnia citra cognitionem mediam, a deo facta ſupponere ſi velimus, certe eo ipſo deum quaſi per ſortem aut caſu quodam fortuito hunc mundum produxiſſe exiſtimare deberemus. Hoc jam indigniſſimum deo cum ab omni ſana mente praedito abeſſe exiſtimemus opinari, omnino ipſi certiſſimam ſcientiam mediam propriam facimus. Illuſtrari eadem pulcre poteſt noſtris cognitionibus mediis, quas experientia detegimus quotidie, quoties in meditationes eiusmodi incidimus: Quid? ſi eo, q[illegible] volebam, profectus eſſem. Quid? ſi mortuus hic eſſet, qui grauiter aecitu[illegible]at? Quid? ſi illud omiſiſſem, quod hodie peractum eſt?

§ XXVII.

Ex omnibus iam ſupra dictis nobis dicere licet deum omniſcium eſſe, ita vt ſciat omnia ex omnibus: nihil debilitatis, ignorantiae, in certitudinis, dubitationis, fluctuationis noſtrae in eum cadat. Quodque maius eſt in ipſa noſtra certitudine ſubiectiua vel maxime completa multa ſunt, quae ſummam eius certitudinem ſubiectiuam decolorarent. In experientiis noſtris paſſiuum illud, quod vel harmonia praeſtabilita recte percepta concedit, apud deum exulat. In demonſtrationibus noſtris a priori vel maxime geometricis, bone deus? quot abſtractiones! quot voluntariae obſcurationes! quot variationes et quaſi greſſus ab vno ad alterum! quam tarda reflexio, quam incompleta comparatio! Quamuis longiſſime abſimus a ſcepticiſmo vniuerſali, ſicuti tamen Deus ſolus habere dicitur immortalitatem (abſolutam et ſummam, ſicuti ſolus ſapiens (nexum finalem perfectiſſime perſpiciens), ita ſine erroris formidine diceremus eundem ſolum et obiectiue et ſubiectiue certum (in ſummo gradu, quem hactenus expoſuimus.)

§ XXVIII.

Interim ſi Pythagorae, primo philoſopho, licuit omnem philoſophiam velle ac decernere aſſimilationem cum deo, quatenus homini poſſibilis ſit, quis nunc vetet philoſophum hanc etiam ſummam dei certitudinem imitari, quantum poteſt? Imitabitur autem I) ſi non veritatis ſolum, etiam in moralibus, et in his quidem maxime, quoniam haec ſola ipſius arbitrio ſubiecta ſunt, ſtudioſiſſimus erit, ſed illius etiam apertioris, et vt ita dicam, nudae, quae pateat, ac ſponte veluti ſeſe offerat agnoſcendam omnibus, qui non obtundant deliberato conſilio mentis ad eam animaduertendam requiſitae aciem. 2) Si ſummam certitudinem, praerogatiuam ſui auctoris, adorans completam tamen, quamque poterit ubique conſequi, maximam ſumma nitatur ope ſuam facere, praeſertim in diuinis, et ad religionem, ſcopum creationis ſuae ultimum, propius pertinentibus.

